



PETRI RAMI ARITHMETICAE LIBER PRIMUS

A. LAZARO SCHONERO
emendatus.

CAPUT I. DE NOTIS ARITHMETICIS.

- 1 ARITHMETICA est doctrina bene numerandi.
- 2 Partes Arithmeticae duae sunt, simplex & comparativa.
- 3 Simplex quae considerat simplicem numeri naturam.
- 4 Numerus est secundum quem unumquodque numeratur.
Ut secundum unitatem unum, secundum binarium duo, secundum ternarium tria, & sic deinceps omnes numeri.
- 5 Itaque numerus est unitatis aut multitudinis: potestque esse minimus ut unitas: maximus autem quo major dari nequeat, nullus esse potest.
- 6 In numero spectatur primum notatio, deinde numeratio.
- 7 Numeri in abaco notandi & scribendi haec decem sunt notae 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0: quarum prima significat unum, secunda duo, tertia tria, quarta quatuor, quinta quinque, sexta sex, septima septem, octava octo, nona novem.
- 8 Circulus, quae nota est ultima, nil per se significat: ad dextram tamen positus valet ad alias notas amplificandum.
- 9 Amplificationis gradus sunt tres, deincepsque periodis similiter iterati, semel, decies, centies. Nam de primis novem notis quaelibet sola, aut ultimo universi numeri loco suum numerum semel exprimit: penultimo decies, antepenultimo centies. Haec prima est periodus.
- 10 Secunda est millium. Quarto itaque loco, notabis millena semel, quinto decies, sexto centies.
- 11 Hinc sequitur tertia periodus, a septimo loco, ubi notabis millena millia semel, decies, centies.
- 12 Tum similiter quarta periodus a decimo loco est millies millena millia, ubi tres illi gradus similiter iterantur, & sic in infinitum.

A